AD

SANCTISS. DOMINUM NOSTRUM

BENEDICTUM PP. XIV.

EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO PP. XIV.

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

EDocuit me, uti SANCTITAS TUA bene jam novit ex literis, quas recens in lucem edidi, Auguſtinus Cardinalis Valerius, Eccleſiæ Principes ampliſſimo, quem obtinent, loco ſplendorem addere non mediocrem, *ſi libros ſcribant, populo Dei utiles, quibus hæreſes confutentur*, indeque Romani Pontificis ſe vere fratres oſtendere, dum *tanto ſtudio ejus authoritatem tuentur*, eoſque Sanctæ Eccleſiæ filios agnoſci, dum *ejus limites fortiter defendunt*. Id, inquam, Vir ille præſtantiſſimus, & quaſi unus ex numero Epiſcoporum naſcentis Eccleſiæ, edocuit me in eo Opuſculo, quo veri Cardinalis S. R. E. imaginem expreſſit. Is ipſe in hiſtorico Commentario Jubilei a Clemente VIII. celebrati non aliud lucrifaciendis Hæreticis opportunius eſſe tempus oſtendit, quam Anni Sancti; quo ad illos præſertim ſpectare videntur Joelis Prophetæ verba illa, *Convertimini ad*

minum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, ac præſtabilis ſuper malitia; quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus? moxque de Provinciis, quæ a Sanctæ Matris Eccleſiæ uberibus divulſæ in varias hæreſes ſunt prolapſæ, ita loquitur, *Cum ſuperet Divina Clementia mortalium omnium iniquitates, non videtur deſperandum, aliquando fore rationibus quibuſdam occultis, ut Provinciæ reſipiſcant, & ad ſanitatem Fidei mortales quam plurimi redeant, exemplis optimis, & ſalutaribus, quæ hoc Anno Sancto exhibita ſunt, ad veram pietatem excitati.* Retulerat vero paulo ante, complures Anno Sancto Clementis VIII. deteſtatos fuiſſe hæreſes ſuas, atque inter ipſos nominat Joannis Calvini Hæreſiarchæ affinem, *Quem* (ait) *Clemens Pontifex paterno amore complexus eſt, & liberaliter alendum ſuſcepit, quem etiam ſanctiſſimo Chriſmatis Sacramento confirmavit.*

Hiſce monitis Cardinalis Valerii, cujus perſonam gerere in texenda proximi Anni Sancti hiſtoria a SANCTITATE TUA demandatum mihi fuerat, excitatus ego, atque perpulſus, conſilium cepi, Deo, ut credere par eſt, authore, Eandem exorandi, ut, quoniam ſanctiſſime conſtituerat, declaraveratque Sua Alloquutione ad Cardinales habita die tertia Martii, proximum Annum Sanctum tranſigere ſeſe velle, inſtar Nicolai V. Deceſſoris ſui, *In Celebritatibus, & Stationibus*, locum etiam inter pias haſce exercitationes nanciſceretur Paræneti-

netica Epiſtola, qua Heterodoxæ Nationes invitarentur ad repetendum Chriſti ovile, quod Magiſtrorum ſuorum culpa deſeruerant. Meum iſtud officium quam benigne, & quanta cum charitate exceperit SANCTITAS TUA, ii tantum intelligent, quorum oculis ſubiiciantur Tuæ ipſamet Epiſtolæ verba, quæ propterea nefas putarem ſilentio ſupprimere, quod ad Dei gloriam, & Sanctæ Sedis honorem maximopere conferat, ſi eorundem ſonus ad omnes terræ fines perveniat. Sunt enim hujuſmodi, *L' Idea dello Scritto Ortatorio è ſantiſſima. Noi l'approviamo, e infinitamente la ringraziamo del ſuggerimento. Ci raccomandaremo di vero cuore a Dio, in cui unicamente confidiamo. Siamo riſoluti, ſe Iddio ci farà campare, di paſſar l'Anno Santo in continue preghiere, per eſſer illuminati, ed ajutati da quello, di cui ſoſtenghiamo, benchè indegnamente, le veci. Vorreſſimo, ch' una buona Morte, ed una buona Ortatoria foſſero il premio di quanto faremo l'Anno Santo. Ella non ci abbandoni, e preghi Dio per Noi.* Verba iſta an non idonea ſint, quæ ex oculis tam Catholicorum, quam Acatholicorum lacrymas eliciant? Annon vel ex ſe ſolis promereantur, ut utrique ſine ulla diſſenſione ingeminent Præconium a me alibi prolatum, *Habemus Pontificem Maximum ſumma virtute, integra fama, ſingulari ſapientia, moderatione animi, & rerum agendarum Prudentia, quæ ſummopere deceat Chriſti domus Diſpenſatorem, præſtantiſſimum?*

Ea

Ea ipſa verba animum meum vehementiſſimo incenderunt deſiderio adinveniendi Commentarium alium, quem noram ab eodem Cardinali Valerio conſcriptum fuiſſe, nuſquam tamen impreſſum, cui titulus, *De Paterna Charitate Clementis VIII. Summi Pontificis erga ampliſſimum Regnum Galliæ*. Sperabam ſiquidem, ut quot in eo Scripto extarent paginæ, imo periodi, totidem emicarent ſcintillæ Charitatis vere paternæ, vere Pontificiæ, cujuſcemodi depoſceret Parænetica Epiſtola omnibus animi mei votis expetita. Fortunavit divina Bonitas meas illas ſpes, mea iſta vota. Bibliotheca enim Ambroſiana Mediolanenſis largita mihi eſt manu Clariſſimi ejus Præfecti exemplar jam jam memorati Commentarii, quem quærebam; hic vero meas ad manus perlatus, margaritas ſuppeditavit, quibus potiri me poſſe confidebam. Afferuntur nimirum in eo miſericordiæ, de qua agitur, præclara documenta, quæ Sancti Epiſcopi, Summi Pontifices, Concilia generalia in Spiritu Sancto convocata, ediderunt; ſtatuiturque S. Cyrilli verbis, ad conciliandam Eccleſiæ diu exulem pacem multa eſſe indulgenda, hoc eſt, de ſummo jure aliquid remittendum, & benigne tractandum; pariter verbis S. Auguſtini, in hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus, aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.

Digitized by Google

niat. Eo autem Pontificiæ charitatis erga Reges; & Nationes æquitatem, ac neceſſitatem provehit Valerius, ut diſertis verbis ita ſcribat, *Scrutator cordium eſt Deus. Accidit autem, ut qui interdum opus bonum non ſincero animo, ſed ficto aggrediuntur, adjuvante Deo illud perficiant, & bonitatis, & ſolidæ virtutis aliis exempla præbeant*. Senſibus tantæ lenitatis, atque indulgentiæ refertum Commentarium dum Tibi in præſens offero, BEATISSIME PATER, nemo ambiget, eundem ſeſe oculis Tuis egregie commendaturum, quippe qui omnium maxime noſti verum eſſe, quod tradit ibidem Valerius, videlicet charitatem, virtutum omnium formam, & laudabilium omnium moderatricem, & magiſtram præcipere, *Ut pacifici Regis Vicarius pacem omni ſtudio, & diligentia ſtudeat conciliare*.

Inſigni iſta benignitate præditus, cur, PATER SANCTE, non impetres a Principibus Acatholicis, ut Tibi Eccleſiæ pacem ope Epiſtolæ, de qua loquor, nuncianti faciles aures præbeant? Epiſtolæ, inquam, quæ abſque dubio, ut alibi dixi, idemque rurſus inculco, ex calamo, ſeu ex mente, & præcordiis Tuis progenita, canon omnino doctrinæ, ſapientiæ, & charitatis cenſebitur. Porro multo quam antea dociliores invenient Principes illi populos ſibi ſubjectos, quod perdocti Univerſitatum ſuarum Profeſſores, manus quodammodo victas dederunt, poſtquam monumenta, quæ ad conſtabilien-

dam

Digitized by Google

dam Catholicæ religionis veritatem ego detexi, ac in lucem eduxi, & urgere adverſus eoſdem per aliquot annos non deſtiti, ea eſſe faſſi ſunt, quibus ipſi refragari non valeant. Quid autem monumenta illa in medium afferendo profecerim apud Heterodoxos, ſequentia declarabunt. Scribens die 20. Februar. an. MDCCXLVIII. Viro Clariſs. Jac. Wilhelmo Feverlino, Publico Goettingenſi Profeſſori, amanter cum ipſo conqueſtus fueram, eundem in ſuis ad Articulum XX. Auguſtanæ Confeſſionis Obſervationibus pro re omnino comperta venditaſſe, Theologos ſuos *doctrinæ Evangelicæ* (ait ipſe) *inſtauratores indolem bonorum operum recte explicaſſe, quod nimirum a Deo præcepta eſſe, & maxime in internis, in amore Dei & proximi, in patientia, in non concupiſcendo, conſiſtere debeant; Concionatores autem Pontificios olim de his parum docuiſſe, tantum puerilia, & non neceſſaria opera, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, roſaria, monachatum, & ſimilia, urſiſſe*. Hanc ego accuſationem profligavi recitatis Pauli III. de modo Concionandi literis Apoſtolicis nuſquam antea in lucem editis. Ad haſce Feverlinus in ſua Epiſtola ad me data Kal. Sept. an. MDCCXLVIII. hæc reponit, *Sanam de præcipuis æternæ ſalutis mediis doctrinam a Paulo III. Pont. Rom. & a* TE, EPISCOPE EMINENTISSIME, *probatam libentiſſime video*. Subditque, *Poſſem deſiderare, ut Summi Pontifices, omneſque Epiſcopi Parochis ſuis, Concionatoribus, &*

& Catechetis ſeveriſſime injungant prædicationem veræ illius Evangelicæ μετανοίας, *& refutationem vaniſſimæ fiduciæ in cærimonias vel numero ſuo internam pietatem ſuffocantes, atque ſic in dogmate aliquo primario viam ſternere incipiant ad unionem Eccleſiarum noſtrarum*. Subdam ego, ad ſydera ergo extolli oportere Pauli III. Apoſtolicam ſollicitudinem, quod ſanam illam doctrinam, præhabito Senatus Purpurati ſuffragio, firmaverit, publicaverit, omnibuſque Concionatoribus docendam præſcripſerit; doctrinam, inquam, quæ, ut tradit idem Feverlinus ad Artic. IV. Confeſſ. Auguſt. *Articulus Fidei eſt primarius, & per hanc doctrinam diſtinguitur Eccleſia vere Chriſtiana, & Evangelica a Cœtibus corruptis pleriſque*. Ergo tuo quoque, Clariſs. Feverline, judicio Eccleſia Romana erat vere Chriſtiana, & Evangelica, atque a Cœtibus pleriſque corruptis vere diſtinguebatur, quo ipſo tempore eandem innumeris conviciis laceſſebat Lutherus, ceu Anti-Chriſtianam, ceu barathrum corruptionis.

Rudolphus Kieslingius, Profeſſor & ipſe Clariſſimus Univerſitatis Lipſienſis, accepto, quo ipſum donavi, tertio Collectionis Epiſtolarum Regin. Poli Volumine, ita ad me ſcribit die 3. Mart. 1749. *Perlata ad me ſunt nova, eaque ad unguem exaſciata Scripta, quorum alterum eſt Regin. Poli Epiſtolarum Pars Tertia, alterum autem Epiſtola ad Cardin. Kollonitz his diebus in lucem emiſſa. Perluſtranti Opus Poli egregie ſe mihi probavit Contareni Tracta-*

 tus

tus de Juſtificatione, quo nihil in hoc ſcribendi genere a Roman. evulgatum vidi doctius, ſubtilius, elegantius. Si in Contareni Tractatu, qui nullam unquam cenſuram retulit a Romana Sede, quin bis, ante me, e noſtris typis fuit publicatus, quique paſſim a nobis collaudatus reperitur, egregia continetur, ac proinde orthodoxa doctrina, quid cauſæ fuit, cur de Juſtificationis articulo tantas adverſus nos excitaret tragœdias Lutherus, perinde ac ſi, poſita Catholicorum de eo articulo doctrina, actum prorſus foret de Chriſtiana, & Evangelica religione omni?

Tertio, ex publicis foliis Tigurinis, quæ ſingulis hebdomadis conſcribuntur, & evulgantur, ſignatum die 9. Apr. an. 1749. exacte recenſet p. 120. Vindicias Pauli III. pluribus meis Scriptionibus comprehenſas, meaſque in hoc negotio partes ita tuetur, ut novis etiam præſidiis ipſas communiat. Namque initio ibidem legitur, *Ex geſtis Pauli III. ferendum eſt de ejus animo judicium, aut dandum eſt nomen collegio eorum, qui nemini fidem adhibent. Quidnam vero ita ſe gerentes hujuſcemodi homines lucrantur? Id unum, quod omnes iiſdem quoque diffidant*. Commendantur deinde in iis foliis ſuſcepta a Paulo III. conſilia pro optimorum Cardinalium cooptatione, pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in Romana præſertim Curia, inſtauratione, & pro Œcumenici Concilii convocatione. De capta vero ab eo Pontifice cura pro retinendis in officio, qui ſe ſe a Papali poteſtate ſubtraherent, ita ſubjungitur, *Annon id ipſum præſtite-*

ſtiterunt veterum Conciliorum Patres? Hodie quoque, dum Proteſtantium Conſiſtorium ad ſe advocat contendentes, num iſtos admittit ad veritatem ſecum una inveſtigandam, an potius ſua authoritate ipſis præſcribit iiſdem, quidnam ſentire teneantur?

In aliis Tigurinis æque publicis foliis ſignatis 19. Mart. 1749. recenſetur Epiſtola mea data ad Formejum die 30. Decemb. 1748. atque hæc ibidem habentur, p. 93. *Concoquere non poterat D. Cardinalis, ſcriptum fuiſſe a D. Formejo in una ex Epiſtolis ſuis, Lutherum perfectius intellexiſſe linguas Græcam, & Hebraicam, quam has intellexerint Romanæ Eccleſiæ Præſides, qui temporibus Pauli III. floruerunt, indeque illum, magis quam iſtos, idoneum fuiſſe ad ſacrarum literarum oracula interpretanda. Id refutandum ſumit D. Cardinalis.* Moxque affert ſententiæ meæ fundamenta, & tandem his verbis judicium ſuum eorum foliorum Scriptor profert, *Sententia, quam amplector ego, hujuſmodi eſt, Lutherum acumine, & doctrina viguiſſe quantum ſatis foret rei, quam ſuſcepit, exequendæ, at ſi magis dotibus illis abundaſſet, omiſſurum forte rem eandem capeſſere.* Non aliis certe verbis poterat apertius Scriptor ille primas literarum, atque ſapientiæ deferre Polo, Contareno, Sadoleto, potius quam Luthero.

Adſunt denique Tigurina alia folia ſignata 23. Apr. 1749. in quibus p. 136. refertur Epiſtola mea ad laudatiſſimum Præſulem Zaluſckium, queriturque quodammodo eorundem Scriptor, Virgilii verba in

anterioribus foliis, ubi actum eſt de celebratis Epiſcopatus mei Brixiani a Goettingenſis Academiæ Senatu Vicennalibus, m...i unice aptata, videlicet *Tum pietate gravem, & meritis ſi forte virum quem Conſpexere ..... Ille regit dictis animos, & pectora mulcet*, hæc, inquam, verba me partiri voluiſſe cum SANCTITATE SUA, aut potius ſublimiori ratione Eidem ipſa tribuere, dum ſcripſi, *Pontificem, doctrina, ſapientia, pietate, & meritis non gravem, ſed graviſſimum habemus*. Poſtea ſubdit, *Tranſitum facit D. Cardinalis ad celebrandum Pontificem illum, affirmans, tantis Ipſum donis potiri, ut a Deo S. R. E. conceſſus videatur, quo terræ Principum, & Dominatorum omnium corda ad ſe pertrahat, ſegregeſque populos ad ovile reducat*. Laudibus ergo a me in BENEDICTUM XIV. collatis nullo modo obſiſtunt folia, de quibus agitur. Id autem fieri hac etiam de cauſa reor, quod conſcii jam ſint Heterodoxi, in pluribus meis lucubrationibus memorari Cardinalis Contareni Epiſtolam, qua Pontificiæ poteſtati certi fines conſtituuntur. In ea enim ſapientiſſimus Vir ille, Romanæ Purpuræ decus, quemque Paulus III. gemmam Pontificatus ſui vocitare conſueverat, poſtquam ſententiam quorundam Juriſperitorum, quod nulli regulæ præterquam ipſius voluntati teneatur Rom. Pontifex, cum magno orationis impetu reprobaſſet, his tandem verbis eundem Paulum affatur, *Tu, qui doctrina excellis, & rerum experientia, naturalique prudentia plurimum vales, perpende, an ex*

hac

Digitized by Google

hac doctrina temere Lutherani anſam ſumpſerint componendi libros illos ſuos de Captivitate Babylonica. Ei autem Epiſtolæ, quod inſcripta ſit ipſimet Pontifici, quodque locum invenerit in Bibliotheca Maxima Pontificia, Authorum ſcilicet melioris notæ, qui pro Sancta Romana Sede conſcripſerunt, quod tandem ea Bibliotheca Romæ excuſa, ac Innocentio XII. nuncupata viſatur, non ipſius tantum Contareni ſed S. Sedis authoritatem ineſſe, nemo negaverit.

Publicis, quæ hucuſque adduxi, teſtimoniis privata etiam aliquot ſubdam; ea ſcilicet, quæ continentur in literis Gallico idiomate ad me datis, quarum alibi partem aliquam, prout occaſio tulit, recitavi. Menſe Julio anni ſuperioris ſcriptum mihi fuit in hunc modum, *On doit, Monſeigneur, venerer tous ceux que Vous admirés, c'eſt a dire un Polus, Contarenus, Sadolet, Bembus &c. qui ont eté des perſonnes ſavantiſſimes, & les plus doctes, les plus eclairées, integres, enfin les plus honnetes gens, & l'honneur de leur Siecle. Tels enfin, Monſeigneur, que ſi j'avois vecu de leur tems, tous les Luthers, Calvins, Zuvingle, Bullinger, Oecolampad, & tant d'autres n'auroient jamais pu rien gagner ſur moi avec leur nouvelle doctrine. Je leur aurois aſſurement repondu, convertiſſez premierement, & faites entrer dans vos ſentimens un Polus, un Bembus, Sadolet, & autres les plus clairvoyans en fait de Religion, & ſur ce qui regarde le Royaume des Cieux, & le vrai ſalut des hommes, & je vous ſuivrai alors avec plaiſir; mais*

tant

tant que ces Peres de l'Egliſe vous deſavouent, & ne veulent rien ſavoir de vous, l'interêt de mon ame demande de moi de ſuivre pluſtôſt ceux, à qui Dieu a confié le maniment de ſon Egliſe, que des Transfuges, & des Chefs rebelles, qui ne ſavent pas ſeulement ce qu'ils veulent, dont chacun cherche rien moins, que la verité, mais ſeulement de faire adopter ſes reveries, & de ſe faire chef de Partie, & d'un Homme de neant devenir homme de conſequence: coute qu'il coute. S'il m'auroient repondu, qu'il faut redreſſer la vie dereglée des Moines; alors je leur aurois dit. Croyés vous donc, que vôtre nouvelle Religion y ſoit plus propre que la Religion de tant des honnêtes gens? Croyez moi, & laiſſez là vôtre Projet de Reformation, car la Religion n'eſt pas mauvaiſe, & n'a pas beſoin de Reformateurs. Pourtant ſi vous voulez être des Reformateurs, ne reformez pas la doctrine, mais ſeulement vos moeurs. Faites comme Thomas à Kempis, écrivez de bons livres, & vivez ſaintement, afin que tout le Monde voye vos bonnes oeuvres, & loüe Dieu. Is ipſe Scriptor literis meis datis 19. Jan. hujuſce anni ita reſpondit die 1. Febr. *J'ai reçu aujourdhui la lettre que V. E. m'a fait la grace de m'ecrire le 19. Janvier. Croyez moi, Monſeigneur, cette votre bonté, & le zele pour le bien de mon ame, que je reconnois dans vos propoſitions magnanimes, me rendent ſi confus, & ſtupefait, & interdit que je ne puis faire autre choſe aujourdhui, que de ſupplier V. E. de trouver bon, que j'y reflechiſſe mûrement comme*

me la choſe le merite auſſi, étant de la plus grande conſequence, ne regardant pas ſeulement le corps, mais l'ame, dont l'eſſence eſt infinement plus noble. Il faut donc, comme vous le remarquez très bien, que ſon interéſt aille avant toutes choſes, & je ne manquerai pas de prier le Dieu tout puiſſant, auſſi efficacement qu'il me ſera poſſible, de m'eclairer entierement, & de m'inſpirer de ne faire rien, qui ne ſoit conforme à ſa ſainte Volonté, & je ne manquerai pas d'informer V. E. des progrès que j'eſpere de faire dans la Route du Ciel. Idem Scriptor die 15. Mart. legenda mihi præbuit quæ ſequuntur, *J'ay lu a mon aiſe & avec loiſir 2. fois la Lettre de V. E. au Cardin. Kollonitz, & le Traité du Cardin. Valerius. Et je confeſſe d'en être touché au ſupreme dégré. Le tout eſt admirable, & plein de convictions, & de preuves inſurmontables de la Verité Apoſtolique de vôtre Religion. Je me ſuis imaginé, Monſeigneur, que cet ouvrage me regarde particulierement, & qu'il ait été fait exprès pour moi, & je me le ſuis appliqué comme ſi V. E. me parloit de cette ſorte, & avec cette inouie bonté, & ce zele magnanime, & Chretien, qui eſt digne d'un vrai Eveque Apoſtolique. L'Auteur vous reſſemble en tout, & c'eſt pourquoi auſſi qu'il eſt fort bien, que vous jouiez le même Perſonnage dans le prochain Jubilé. En liſant les Pages 35. 40. juſqu'à 4. fois il faut que je l'avoue à V. E. les larmes me ſont tombées des yeux, & je crois que ſi dans ce tems j'avois eu une voiture toute préte, je m'en ſerois allé, & j'aurois ſui*

mes

mes penates, tant j'en ſus emû. Ah pourquoi ne le puis je pas faire preſentement! Si. . . . je ne doute plus que je ne ſois à vous, & que je ne confeſſe ouvertement tous le dogmes enſeignès par l'Egliſe Romaine. Priez donc pour moi, que Dieu qui eſt miſericordieux me conſerve dans ma Pensée.

Atque hæc ſunt, PATER SANCTE, quæ me adducunt ad ſperandum, ſiquidem Deus hortationibus Tuis virtutem dederit corda Principum flectendi, hoſce haud ægre traducturos ſubditas ſibi gentes ad Eccleſiæ Unitatem amplectendam. Adfuit divina ea virtus meis illis lucubrationibus, dum idoneas eas reddidit, quæ ex Adverſariorum ore teſtimonia exprimerent, quæ legiſti. Aderit ipſa quoque Apoſtolicæ Tuæ voci, dum in inſigni die ſolemnitatis noſtræ, in Anno ſcilicet Jubilei, buccinæ inſtar in Principum auribus inſonuerit. Aderit denique Principum conſiliis, dum in Apoſtolatus Tui obſequium curam ſuſcipient Eccleſiaſticæ Pacis amorem populis illis inſtillandi. Ego vero, poſtquam ejuſdem Unitatis negotio tot mea ſtudia devovi, ratus non aliam eſſe excelſiorem metam, ad quam illa dirigi poſſent, & tot etiam itinera impendi, oblitus in iis peragendis ætatis meæ haud certe viridis, viarum difficultatis, quin etiam ſplendoris dignitatis, qua exornor; impoſterum aſſiduis precibus Deum exorabo, ut SANCTITAS TUA tota virtute perficiat quæ placita Deo ſe cupere profeſſa eſt in literis, quas ſuperius recitavi; Ejuſque Pedes tandem deoſculor.

Brixiæ die XXIII. *Aprilis an.* MDCCXLIX.

DE

DE PATERNA CARITATE CLEMENTIS VIII. SUMMI PONTIFICIS
Erga Ampliſſimum Regnum Galliæ.
A D FEDERICUM CARD. BORROMEUM
ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM
AUGUSTINUS VALERIUS
CARD. VERONENSIS.

O Cardinalis Borromee Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcope! Hæc etiam res miranda contigit hoc ſeculo, ut poſt varias perturbationes, poſt longa bella civilia in Ampliſſimo Galliæ Regno, poſt mortem occiſi Regis Henrici III. rerum potiatur is, qui juſtis de cauſis ab hac Sancta Sede Pontificiis Conſtitutionibus, armis, pecuniis, ut ſcis, fuerit impeditus, ne Regno potiretur: & in tot ac tantis rerum proſperitatibus non ita ſit elatus, ut quater ad Chriſti Vicarium ſupplex non miſerit, quo in caſtiſſimos piæ Matris Romanæ Eccleſiæ amplexus reciperetur. Res nova & mirabilis, quæ in Generali Cardinalium Congregatione, cui non interfuiſti, tractata eſt; quæ in toto jure Canonico minime videtur comprehenſa, cujus memoriam nulla unquam obliterabit poſteritas, quæ ſummam Dei miſericordiam teſtificabitur, Summi Pontificis auctoritatem oſtendet, occulta & veneranda Dei judicia indicabit, & potentibus Viris ſalutaris pœnitentiæ, & humilitatis documenta præbebit. Hac ætate in ter alia admirabi-

lia & funeſta hæc evenerunt; Germaniam ſceleſta novitate, cujus Lutherus fuit auctor & ſeminator, & peſtiferis Zuingli & aliorum Hæreticorum, quos portenta hominum jure dixerimus, dogmatibus perturbatam; Maumethi ſuperſtitionem tam late propagatam, totam Græciam miſerabiliter diſcerptam, Anglos a Sancta Sede Apoſtolica penitus divulſos, corruptos quamplurimos Belgas, mutata Regna, Reges immatura morte e medio ſublatos: quibus acerbis & funeſtis caſibus Tragœdiæ in Gallia excitatæ, nec ſolum excitatæ, ſed etiam actæ, comparari poſſe videntur. Quæ omnia conſiderantes admirari ſatis non poſſumus ſummam Dei providentiam, qui rerum varietatibus Rempublicam Chriſtianam ita moderatur, ut doceat mortales, nihil infra lunam firmum aut ſtabile eſſe, nihil terrenum aut caducum eſſe unquam admirandum; cogitationes omnes noſtras in Cœlum eſſe figendas; tantam ejus eſſe potentiam cum bonitate conjunctam, ut ſolus ipſe e magnis malis maxima ſciat elicere bona, & in variis calamitatibus, quando ei libet, ipſe ſolus poſſit ſuum conſolari populum, eo in primis tempore, cum res omnes deploratæ videntur eſſe, quemadmodum ob multas exortas hæreſes ſtudia Sacrarum literarum excitata eſſe, Martyres quamplurimos effectos, & aliquas piorum & Sanctorum Virorum Congregationes inſtitutas fuiſſe, licet obſervare, & afflicto Regno inopinatis & mirabilibus modis videatur conſulere, ut hac ratio-

tione fortaſſe hæreſim expellat omnem,& toti Chriſtianæ proſit Reipublicæ. In Gallia nunc is, qui Henrici nomine ſupplex ad Pontificis pedes venit, has eſſe piorum hominum voces commemorat. O Rex Regum, qui nutu tuo omnia temperas, o Pater benigniſſime, cœli, & terræ gubernator, Deus, quam mirabilia ſunt judicia tua, quam bonus es iis, qui recto ſunt corde! miſericordia tua plena eſt terra. Princeps regio ſanguine natus, Matre hæretica labe contaminata ortus, pernicioſis Hæreticorum fallaciis deceptus, qui variis in bellis hoſtilem animum in Catholicos,& Sanctam Matrem Eccleſiam Sponſam Chriſti jam oſtendit, maledicentiis in Romanos Pontifices audiendis aſſuetus, hoc tempore, ſingulari Dei beneficio, cum ad cor ſe rediiſſe profiteatur, mutata ſententia omnem hæreſim deteſtatur, ingenue & publice damnat & execratur; filium ſe Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ nominat; rejectus quater literis, in quibus pleraque videntur eſſe argumenta pietatis & humilitatis, ad pedes Vicarii Chriſti laudabili perſeverantia ſeſe proſternit. O dextera Dei excelſi! o judicium Dei venerandum! o inennarrabilis clementia Dei, quæ a Clemente VIII. Pontifice Orbi Chriſtiano aliquando declarabitur! o piorum Catholicorum preces! o Sanctorum Hilarii, Irenæi, Dionyſii, Ruſtici, Eleutherii, Saviniani, Potentiani, o Sancti Ludovici preces, a quo originem traxit hæc ipſa, in qua Henricus eſt natus, Borboniorum familia! o lacrymæ demum il-

lius, qui nunc Chriſti vicem gerit in terris; parietis vos Reipublicæ Chriſtianæ tantum gaudium; vos ſchiſma imminens auferetis, quo nihil Eccleſiæ Dei poteſt eſſe calamitoſius; pacem Ampliſſimo Regno afferetis, Sanctæ Romanæ Sedis dignitatem conſervabitis; vos populum Chriſti ſanguine redemptum in ſpem aliquam erigetis, ut pax in Chriſtiano populo ſit conſecutura, quæ aliquando pariet maxime neceſſarium & optatiſſimum fœdus ad extirpandam omnem hæreſim, & ad inſolentiam perennis & immaniſſimi Chriſtianæ Reipublicæ hoſtis Turcæ reprimendam. Quæ voces dum nobis commemorarentur, pia quadam lætitia non affici non poteramus. Excepit hunc, qui ab eo, qui inter filios Eccleſiæ eſſe ſe & haberi cupit, miſſus eſt, communis omnium Pater læto vultu; paternam exhibuiſſe videtur caritatem erga Principem, qui jam hæreſi contaminatus fuerat. Cur non indulgeat Pater Filio veniam petenti, quantum Pontificia auctoritas patitur? Cur ei præcludat gremium dulciſſimæ Matris, quamvis multos annos protervus & rebellis fuerit? Suæne paternitatis oblivìſci debuerat, & rejicere filium pœnitentem? Debuerat contra Apoſtolicum præceptum illum provocare ad iracundiam, & in rerum deſperationem adducere? Duritiei & crudelitatis potius ſubire nomen? Sibi ipſi auctoritatem adimere? Non fuiſſet certe hoc Patris. Non ita fecerunt Sancti Epiſcopi, non Summi Pontifices; non ita Sacroſancta Concilia Generalia in Spiritu Sancto con-

congregata ſtatuerunt. Ea enim, quæ ſcribit Sanctus Baſilius de Euſtathio Epiſcopo, ſceleſtiſſimi hominis Arrii ſectatore, quater relapſo, toties etiam recepto; & quæ ab Eleutherio Papa erga Marcionem & Valentinum hæreſiarchas facta ſunt; quæ etiam clementiæ ſigna erga Arrium Conſtantini Magni tempore in Concilio Nicœno exhibita fuerint; quæ item Cæleſtinus erga Neſtorium; Gregorius VII. erga Henricum Imperatorem; quæ Pius II. & poſtremo Paulus II. erga Georgium Boemiæ Regem miſericordiæ documenta dederint, nota ſunt, & quia nota, præſertim tibi in ſacra Theologia, in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & in Generalibus Conciliis diligenter verſato, non commemorantur pluribus verbis. Nec quia Pontificis benignitas illis minime profuerit, idcirco non imitanda eſt Clementi, cum Epiſcopi Sancti præſcripſerint, Pontifices & Sacra Concilia ea ſtatuerint, quæ præſcribit caritas, quæ ſequentibus vexillum Crucis Chriſti maxime congruunt. Ut enim Sanctus ſcribit Cyrillus, ad conciliandam Eccleſiæ diu exulem pacem, multa ſunt indulgenda, hoc eſt, de ſummo jure aliquid remittendum & benigne tractandum. Quod confirmat Sanctus Auguſtinus his verbis: In hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis caritas ſincera ſubveniat. Jam vero inter proprietates caritatis nume-

merantur hæ, ut benigna ſit, & omnia credat. Qui Divina benignitate abutuntur, ſe ipſi decipiunt, non Deum. Se autem ipſum decepturum Henricum, qui abſolvi ab excommunicatione tantopere flagitat, minime credibile eſt, cum illud ipſum, quod ad ſalutem ejus animæ confert, profuturum etiam ſit ad conſervationem illius Regni, quod tot periculis, tot bellis, tot laboribus ſibi comparare ſtuduit. Quas ob cauſas, & ob pauca illa, quæ attulimus exempla, laudant omnes Clementis VIII. conſilium: nimirum non modo Collegium Cardinalium, ſed tota fere Urbs videtur exoptare, ut imminentia avertantur mala, Chriſtianæ conſulatur Reipublicæ; in primis Regno Galliæ, tantiſque populis id enixe flagitantibus, ut, cui parere coguntur, conceſſione hujus Sanctæ Sedis pareant. Vicarius Chriſti Chriſtum imitatur, cujus proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Qua in re ſi quiſpiam Apoſtolicæ Sedis juſtitiam in Henricum Borbonium conſideret, quod Sixti V. Pontificis Conſtitutione Regno ſit privatus, & ad Regnum Galliæ conſequendum minime idoneus ſit judicatus; quod a Gregorio XIV. miſſus ſit exercitus in Galliam, in Catholicorum ſubſidium; quod ab eodem Pontifice, ab Innocentio, & a Clemente, quem nunc habemus, tot miſſa ſint ſubſidia pecuniarum, tot ſcriptæ literæ ad Epiſcopos, & ad Catholicos Principes, ut Henricum desererent, ut Catholicorum partes ſequerentur; quod hic etiam Clemens viros inſi-

ſignes, dignitate præſtantes non audierit, cavens; ne Rex hæreticus Pontificia auctoritate conſtitueretur; ſi vocem poſſet emittere, clamaret, certo ſcio, Sancta hæc Sedes; Quid potui facere, & non feci, ne regnaret hic, qui hæreſi fuerat contaminatus? ita ut juſtitiam in illum exercuiſſe videatur, & Canonicam diſciplinam diligenter obſervaſſe. Cum vero pii hujuſmodi conatus, & ſtudia; hæc ipſa laudabilis & ſancta contra hæreſim ſeveritas impedire non potuerit, quominus Henricus rerum potiretur; profuerit potius, præſertim cum hic, Patre miſericordiarum Deo inſpirante, & Gallicorum Præſulum hortationibus & precibus, hæreſim ſit deteſtatus, & ad petendam benedictionem a Summo Paſtore, ab Epiſcopo Epiſcoporum miſerit; certe videtur maxime convenire, ut benignitatis exempla dentur ab eo, qui Chriſti eſt imitator in terris; præſertim cum ſcriptum ſit, noli eſſe nimium juſtus: & diverſa ſit ratio, qua puniendi ſunt Reges & qua privati homines; nec minor Regni, quam Regis, imo major, cum in Regno innumerabiles ſint animæ, de quarum ſalute agitur, ſit habenda ratio, & remitti conſueverint pœnæ etiam indignis propter ſalutem multorum. Ita enim caritas, virtutum omnium forma, & laudabilium omnium actionum moderatrix, & magiſtra præcipit, ut pacifici Regis Vicarius pacem omni ſtudio & diligentia ſtudeat conciliare: quæ pax in Gallia illo, qui rerum potitur, a Sanctæ Matris Eccesiæ gremio divul-

Digitized by Google

vulſo conſiſtere ulla ratione nequit. Hanc ipſam pacem, hanc ſchiſmatis averſionem, hanc nobiliſſimi Regni tranquillitatem ſupplicibus literis petiit & qui nunc imperat in Gallia, & omnes, qui parent, Proceres. In literis vero, quæ lectæ ſunt in Generali Congregatione, humilitatis, reſipiſcentiæ, veræ pœnitentiæ apparent indicia: Scrutator cordium eſt Deus. Accidit autem, ut qui interdum opus bonum non ſincero animo, ſed ficto aggrediuntur, adjuvante Deo, illud perficiant, & bonitatis, & ſolidæ virtutis exempla aliis præbeant: quod jam feciſſe Henricum, qui opus Dei ſua quidem ſententia ſincero animo cœpit, narrat is, de quo dixi, Jacobus Perronus. Non eradicanda eſſe zizania Magiſter Magiſtrorum Chriſtus docuit, ne forte eradicetur ſimul & triticum. Hæc verba Sanctus Chryſoſtomus interpretans, Dominus, inquit, prohibet, ne forte ſimul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant; quod decebat, ut bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Et Euthymius eadem Evangelii verba exponens ait; Prohibuit auferri hæreticos, ne etiam pariter Orthodoxi auferrentur; futurum enim erat, ut bella invicem, & cœdes orirentur. Quinimo etſi ſuſpicari poſſet Pontifex, adhuc infectum eſſe animum tam potentis Principis, profecto remittendum eſſe de juſtitia propter innumerabilium mortalium ſalutem, vir pius non negaverit. Et Thomas Aquinas doctiſſimorum hominum Sanctiſſimus in Summa diluci-

de

de explicavit, cum hæreticis communicandum eſſe ad commune bonum, & illos, qui revertuntur ad Fidem Catholicam, eſſe recipiendos. Verba illa *Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, in Romanum Pontificem maxime conveniunt, qui egregio & inſigni excellentis caritatis titulo ſe Servum Servorum Dei nominat. Servire autem Deo nihil eſt aliud, quam ejus ſanctiſſima præcepta ſervantem ſtudere, ut a quamplurimis eadem ſerventur, ut caſtus ei exhibeatur cultus tum interior, tum exterior, ut omnis tollatur iniquitas, ut hæreſes extirpentur, ut incontaminata propagetur Religio, ut juſtitia & pax ſe invicem oſculentur, ut concordia inter Catholicos Principes oriatur, & orta augeatur, ut tandem magna cogitentur adverſus Turcam, qui tanta tot in locis molitur, quem acerrimum hoſtem, extrema omnia Chriſtianæ Reipublicæ minitantem experimur. Servit Deo, qui pacem conatur Ampliſſimo Regno reſtituere, a quo Sancta Apoſtolica Sedes a Barbarorum inſultibus defenſa eſt, & plurimis honoribus ornata. Præcipuæ partes prudentiæ illæ ſunt, ut majora & viciniora vitentur mala, ut ea conſilio adhibito fiant, quæ feciſſe nunquam pœniteat, ea non negentur fieri, quæ negaſſe quiſpiam ægre ferat, & cogatur illud uſurpare; non putaram; hei mihi nimium durus fui; fui ipſe Auctor tantorum malorum! Eſt inſignis locus apud Sanctum Cyprianum in longa Epiſtola, quam ſcribit ad Antonia-

num, in qua hujuſmodi prudentiam cum excellenti caritate eſſe conjungendam docet his verbis: Quorum ſi pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in hæreſim, vel ſchiſma Diabolo invitante rapiuntur: & adſcribetur nobis in die Judicii, nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe. Et cum Dominus relictis nonaginta novem ſanis unam errantem & laſſam quæſierit, & inventam humeris ſuis ipſe portaverit; nos non tantum quæramus lapſas, ſed & venientes arceamus; & cum Pſeudoprophetæ gregem Chriſti nunc vaſtare, & lacerare non deſinant, occaſionem canibus & lupis demus, ut quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra & inhumanitate perdamus. Quod ſtudium & paternam caritatem erga cupientes recipi in Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium confirmat Sanctiſſimus idem Epiſcopus & Martyr, ſcribens ad Sanctum Cornelium Pontificem illis verbis: Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos Commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis; etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio Religionis examino; delictis pluſquam oportet remittendo, pene ipſe delinquo. Porro autem familia Dei, tribus diſtinguitur habitaculis, in quorum pri-

primo, hoc eſt, in Cœleſti Patria ante Sacratiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis Tribunal habitant Beatiſſima ſemper Virgo Maria, Mater Dei, & Mater & Regina noſtra, Angeli, Sancti, & Sanctæ Dei, & omnes, qui in cœleſtem illam gloriam Dei gratia recipi meruerunt. In altero habitaculo ſunt in Purgatorio degentes, qui rationibus variis, precibus, ſanctis jejuniis, Sacrificiis, eleemoſynis adjuvantur. Hæc etiam militans Eccleſia, in qua Deo largiente vivimus, & cujus Hierarcha eſt Romanus Pontifex, domus & familia Dei nuncupatur: cujus familiæ portio maximi facienda eſt ipſa Gallia, nobiliſſimis Templis, inſigni pietate, plurimorum Martyrum, & Sanctorum memoria celebris. Non negligenda fuit ſervo bono & fideli tanta familiæ portio, numeroſi populi ratio fuit habenda. Fortaſſe non deſunt (omnia volumus in meliorem partem interpretari) qui Deum amantes, ejus gloriam procurantes, contra multiplices Satanæ inſidias pugnantes, qui zelo honoris Dei flagrantes, omnem hæreſim jure optimo deteſtantes, quia Henricus hæreticus fuit, quia ſororem & nobiles Gallos nonnullos tolerat hæretica pravitate infectos, quia decretum, quod hereticis favere videtur, publicari permiſerit, quia ſigna evidentiora converſionis ſuæ non dederit, & alia dicatur feciſſe & facere, quæ cum vera pœnitentia non videantur congruere; ut ſe ipſum & alios fallentem rejiciendum, eique gremium piæ Matris Eccleſiæ dene-

 gan-

gandum eſſe, cenſent. Verum qui ita ſentiunt, mutarent fortaſſe ſententiam, ſi doctiſſimi Viri & ampliſſimi Cardinalis Toleti Tractatum legiſſent, & in eo conſideraſſent Sancti Evangelii auctoritatem, argumenta a jure naturali ſumpta, multas e ſacris Canonibus excerptas ſententias, Eccleſiaſticas Hiſtorias & pulcherrimas rationes a Philoſophiæ morali manantes: quibus ad vitanda plurima mala, imminens in primis ſchiſma; ad pacem conciliandam in Ampliſſimo Regno; ad auctoritatem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ retinendam; ad vias excogitandas, quibus aliquando concordia Chriſtianorum Principum potentiſſimo & truculentiſſimo hoſti reſiſtatur, oſtendit, Henricum a Clemente VIII. in gremium Eccleſiæ eſſe recipiendum. Quo in libello, ut in aliis doctiſſimos homines ſuperare conſuevit, ita ſe ipſum ſuperaſſe viſus eſt. Benignitatem & paternam caritatem erga hunc Henricum oſtendere cogitans Clemens VIII., tacite (ut credibile eſt) alloquitur Reges & Principes omnes, qui in Sacroſancta Catholica Fide manentes erga hanc Sanctam Sedem plurima veræ pietatis documenta dederunt & dant. Vos mecum ſemper eſtis; omnia mea veſtra ſunt; hic autem perierat & inventus eſt. Nunquam enim optimus Pontifex deſinit cogitare de Principum Catholicorum commodis; nihilque libentius facit, quam dum eorum Legatos audit, atque in omnibus, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ repugnare minime videntur, ob-

obſequitur: quod veriſſimum eſſe, iidem Catholici Principes minime negaverint. Et profecto ſi quis totam hanc rem diligenter conſideret, cognoſcet, quod Clemens non reiiciat Henricum, prodeſſe quamplurimis, nocere nemini. Cui enim obeſſe poteſt, admitti quempiam in gremium Eccleſiæ? A Patre recipi in gratiam filium? Filium prodigum pœnitentiæ indicia dantem non rejici; excipi potius in paternam domum, ne pereat, ne deſperatione adductus vexillo Crucis Chriſti relicto, in Vicarium Chriſti odio incenſus ad Satanam transfugiat, atque inter ejus ſatellites numeretur? Hæc verba: Hic perierat & inventus eſt, quem non moveant? Quis illa ponderans lacrymas contineat? An non perierat, qui Calvini ſectam miſerabiliter amplexus fuerat? Qui Pontificem Summum tam ſæpe maledictis inceſſerat, qui exercitum adverſus Catholicos duxerat, qui ſacra Templa profanaverat, aut ea profanantes toleraverat? Suntne prorſus minima hæc indicia converſionis (licet non rite, hoc eſt, abſque Summi Pontificis auctoritate, illa omnia ſint facta) ut tantæ poteſtatis oblitus Calvini hæreſim publice præſentibus Epiſcopis Gallicanis coram quamplurimis Viris in Eccleſia ſe erraſſe confeſſus ſit, & paſſim confiteatur? Illum verſiculum minime ſequens, quo potentium Virorum in primis ingenia corrumpuntur, ut videantur eſſe eruditi ad excuſandas excuſationes in peccatis. Reverſus exiſtimari poteſt, qui junctis manibus genu-

nuflexus, ut ajunt, diebus ſingulis Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio intereſt, qui non ſemel, nec bis tantum, ſed ſæpius in anno Sanctiſſimo Euchariſtiæ cibo veſcitur, cum non agnoſceret (in quo prius quidam Vir hominem militarem fortaſſe excuſaverit) quod non eſſet rite ab excommunicatione abſolutus; qui alios ad Catholicam Fidem, potiſſimum Sororem, ſtudet convertere; qui Nuncios & teſtes Catholicæ ſuæ Fidei, converſionis veræ & ſancti propoſiti mittit. Inter quos hic poſtremus egregiæ pietatis & excellentis in omni literarum genere doctrinæ Vir, converſionis hujus ſe, Deo adjuvante, participem & auctorem non minima ex parte fuiſſe, affirmat. Qui vero dicit: Adhuc eſt perditus Henricus, non eſt reverſus; fingit ſe reverſum, ut fallat, ut regnet; conſideret diligenter, quid dicat; caveat, ne id affirmet, quod affirmari non poteſt; cujus inſpector eſt unus, qui corda hominum penetrat, Deus, in cujus manu ſunt omnes poteſtates, & jura Regnorum, & eſt tam verax, tam potens, tam intimus cogitationum omnium ſcrutator, ut nec fallat, nec fallatur unquam. Quod ſi non eſſet reverſus Henricus, ſi hæc ſimularet, ut tutius imperaret, quamquam ſine hac fictione rerum, ut ſcimus, in Gallia potitus eſt, notum eſt ipſi, ejuſque familiaribus, qui in Aula Regia vivunt, quid acciderit Juliano, quid Valenti, quid Zenoni, quid Anaſtaſio, quid pleriſque aliis Imperatoribus, qui ob impietatem ſuam, & hæreſes impie receptas, lacry-

crymabiles in Orbe tragœdias ſuſcitarunt quidem, ſed cito iidem, Chriſti potentiam & juſtitiam experti, miſerandum in modum omnes perierunt. Verum Deus tanta avertat mala. Clemens ab aſſiduis precibus ad bonorum omnium largitorem Deum fuſis, difficillimum hoc negotium, & graviſſimam hanc conſultationem de Regno Ampliſſimo conſolando & pacificando ordiendam cenſuit. Orare, eſt fateri, ſe agnoſcere potentiam Dei, ejus ſapientiam ſuſpicere. Stultos merito Sanctus appellat Chryſoſtomus illos, qui non orant; qui rebus omnibus ſalutari in primis conſilio indigentes, ad Dominum non confugiunt, qui noſtris petitionibus rite factis incredibiliter delectatur: quamobrem verus optimarum ſententiarum Magiſter Chriſtus, oportere ſemper orare dixit, cum quotidianis benigniſſimi Patris Dei eleemoſynis indigeamus, & magna ſit humani ingenii imbecillitas; conſultationes plerumque de rebus magnis, ſint plurimis involutæ difficultatibus; probabilia multa in rebus, de quibus agitur, occurrant; veriſimilibus vera miſceantur; decipiamur ſæpe mortales ſpecie recti; ſeveritas juſtitia exiſtimetur; caritatis nomine remittatur interdum diſciplina; præſtantiſſimum caritatis munus indulgentia corrumpat; caritas aliquando indiſcreti cujuſdam zeli colore obſcuretur. Quo circa in deliberationibus, auxilio Divino eſt opus, preces ſunt neceſſariæ, quæ ſi jejuniis & eleemoſynis condiantur, Deo ſunt ac-
cep-

ceptiſſimæ, & maximam vim habent. Per quamplurimos dies in Urbe ſupplicationes factæ ſunt a Clero, & a Romano populo. Ante Sacratiſſimam Euchariſtiam proſtratus Clemens, diverſis in Parochialibus Eccleſiis, in Baſilicis etiam, & Romanus populus in difficillima conſultatione Divinam opem imploravit. Maxime omnium Clemens orare non deſtitit, manus ſupplices ad Deum tendere & in quotidianis Sacrificiis ſuis, conſilium & auxilium petere; cumque Chriſtum, cujus vicem, gerit, imitetur, ſperandum eſt, fore, ut cum lacrymis orans exaudiatur a Domino pro ſua reverentia & humilitate. Quinto enim hujus menſis die Beatiſſimæ Matri Reginæ Cœli dicato, in memoriam illius miraculi, quo nix æſtate de Cœlo cecidit, ante lucem, cum pauciſſimis, ut Sacerdos Dei in Eccleſia minimus, ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris accedens, nudis prorſus pedibus Miſſam celebravit ſummo mane, quando, ut conſuevit, ex ejus oculis lacrymis plurimis manantibus oravit diu. Summam vero Pontificiæ Orationis hanc fuiſſe, rationi conſentaneum videtur: Chriſte Rex Regum, Cœli & Terræ conditor & gubernator, cujus Corpus ſacratiſſimum manibus geſto, in cujus poteſtate ſunt omnia, cujus auxilio nitor, cujus ſubſidiis non ipſe ſolus, ſed totus Orbis, & hoc præſertim tempore Gallia indiget, adjuva ſervum tuum, ſuggere donum conſilii, da donum fortitudinis, ut agantur hoc maximo in negotio,

gotio,

gotio, quæ tibi ſunt placita & Chriſtianæ Reipublicæ valde expediunt. Tu Mater Dei & noſtra, Regina Cœli, Angelorum & omnium Domina, intercede pro me ad Unigenitum Filium tuum, ne errem in re tanta; conſilia capiam meliora; non declinem neque a dextris, neque a ſiniſtris; gloriam Dei quæram, & ſalutem populi mihi crediti tantum propoſitam habeam. Eadem devotione nudis etiam pedibus, Sacratiſſimæ Matris Aſſumptionis die, iterum ſacrum fecit eodem in Templo Summus Pontifex Clemens, cum duos ante dies Scalam Sanctam genibus flexis aſcendiſſet, lacrymis orans, cum omnium, qui interfuerant, admiratione. Quibus precibus addenda eſſe conſilia Cardinalium ſingulorum cum cenſuiſſet Pontifex, vocandos etiam inter domeſticos parietes, & audiendos putavit. Qua in re rationem Sacri Collegii dignitatis habuiſſe videtur, & de re maxima tractans, Cardinales ut Fratres, ut Conſiliarios, ut Urbis & Orbis Senatores habuiſſe viſus eſt. Dum vero preces aſſidue fundebantur, aliquorum (perpaucorum tamen) voces audiebantur. Servetur jus; non abſolvatur non abſolvendus; nihil eſt, ſi Gallia pereat. Zelo Dei hæc dici potuiſſe, non negaverimus; varia enim ſunt hominum judicia; fallimur ſæpe mortales. Sed bone Deus! nonne retinenda eſt caritas? Nonne plurimorum ſaluti eſt conſulendum? Nonne Sanctorum Patrum auctoritas aliquam vim habet? Num quanta ſit Galliæ

amplitudo, obliti ſumus? An Sancti Martini Turonenſis Archiepiſcopi, & aliorum Sanctorum, qui in Gallia plurimi fuerunt, & Sancti Ludovici, Clodovei, Caroli Magni de hac Sancta Sede optime meritorum Regum labores & memoriam perire ſinet Romanus Pontifex? Nec Lucii III. Pontificis Conſtitutio, quam Veronæ promulgavit (quamvis diſciplinam Canonicam adjuvet, & ad expellendas hæreſes conducat) omnem propterea adimit caritatem, ut ſi immineat ſchiſma, ſi maxima ſit in Eccleſia Dei perturbatio, nequeat Romanus Pontifex Canonici Juris Interpres, Moderator & Conditor ſtatuere, quæ communi utilitati populi Dei expedire arbitratur. Tot precibus, tot meditationibus, tot ſcriptionibus, tot auctoritatibus Sanctorum Patrum, tot rationibus e media Philoſophia ſumptis, ex Evangelio etiam excerptum documentum de non rejiciendis Hæreticis, etiam relapſis, pro concilianda pace, & pro communi populorum utilitate, non probare, non eſſe opportunum, non eſſe a Deo, calamitoſis hiſce temporibus non eſſe accommodatum dicere, periculoſum eſſe admodum putaverim. Ego laudandam potius clementiam Clementis Pontificis exiſtimaverim, & novas preces tot precibus fuſis addendas crediderim, ut Vir, qui reſipuiſſe creditur, qui ſigna dedit non levia pœnitentiæ, qui in gremium Eccleſiæ tantopere exoptat recipi, majorem in dies patefaciat pietatem; ut Pontificiis juſſis libenter obtemperet, latiſ-

tiſſimum Regnum purget hæreſibus, in hæreſi perſiſtentes nullis afficiat honoribus; ut in ſeligendis Viris ad Epiſcopatus, & ad animarum curam, regulas, quas ei præſcripſerit Summus Pontifex, accipiat & obſervet; ut denique pacato Regno, & inita cum Chriſtianis Principibus (quod Deus concedat) pace, ad teterrimum Turcarum Tyrannum deprimendum inflammetur. Quod ſi quis hæc legens, potius hæc optanda, quam unquam ſperanda dicat, ejectam eſſe miſerabiliter multos jam annos e Republica Chriſtiana concordiam, ſtudere ſingulos Principes Chriſtianos ſuis commodis, communia a ſingulis negligi; nunquam fore ut ſalutare hujuſmodi fœdus ineatur; neminem ignorare puto, nihil non poſſe illum, cujus nomen eſt Omnipotens, Deum; vias ejus diverſas a noſtris; cum minus ſperatur, mirabilia facere ſolere miſericordem & miſeratorem Dominum; Crucis vexillo Chriſtianam Religionem ita eſſe propagatam; Turcam eſſe virgam furoris Domini, quæ, quando ei placuerit, projicietur in ignem: utinam peccata noſtra hoc ipſum non præpediant! Sed Rex noſter & Imperator Chriſtus tam bonus eſt, ut ſciat etiam diſſimulare peccata noſtra, & nobis, licet peccatoribus & indignis, ejus auxilium implorantibus præſto eſſe non dedignetur. At hæc ipſa, quæ dicuntur, difficilia & exoptanda valde, minus ſaltem deſperanda erunt, ſi paternam Romanus Pontifex retineat auctoritatem, ſi eos in deſperationem non

Digitized by Google

adducat, qui concitare poſſint turbas magnas in populo Dei, & labe infectos Principes in Sanctam Matrem Eccleſiam irritare. Beſſarionis Græci hominis, qui in eodem, quo nos ſumus Cardinalium Collegio fuit, ab Eugenio IV. uſque ad Pii II. tempora, Viri prudentiſſimi & doctiſſimi verba commemoranda cenſuerim. Ita de immaniſſimo Turca loquitur quibuſdam in orationibus, quas editas legimus: Quæ impendere cernimus pericula, & graviſſimi atque acerbiſſimi caſus non unius aut alterius, non trium ſunt, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ, & in primis Italiæ communia; etſi enim aliis quidem prius, aliis vero poſterius tanta calamitas imminet, ad extremum tamen, omnium futura eſt pernicies. Deinde ſubdit: Truculentiſſimi hoſtis tanta animi vaſtitas omnibus tandem miſerum atque ignominioſum exitium allatura eſt: nam magnæ ſunt ejus vires, inexhauſta cupiditas, immenſa dominandi libido, ſcientia rei militaris. Et exclamans addit: Quo pacto, bone Jeſu, ſperare poſſumus, illum non moliturum ſervitutem, cædem, fidei noſtræ interitum? Quod ſi reviviſceret Beſſarion, qui Chriſtianæ Reipublicæ calamitatem ob Chalcidis obſidionem & amiſſionem deplorabat, quid bonus Cardinalis, quid venerandus ſenex diceret, poſt ipſius ætatem additis Turcicæ Tyrrannidi, Ægypto, Arabia, Syria, Pannonia, Rhodo, Cypro, ac nuper non minima parte Imperii Perſici? Certe quidem orationes alias, lacry-

crymis quamplurimis aſperſas, ad Chriſtianos Principes iterum ſcriberet, ut pacem ineundam, & communem hoſtem debellandum ſuaderet; hoc præſertim tempore, quo Turcicum Imperium licentia, & voluptatum illecebris corruptum brevi temporis ſpatio, ſui mole, magna ex parte ruiturum, non minima extant indicia, cum plurimas acceperit clades, ſeditiones aliquæ concitatæ ſint, & abjectionis animi ſigna Turcæ dederint. Hæc ſcribere quamquam ſupervacaneum pleriſque fortaſſe videbitur, attigiſſe tamen licuit; nam quæ de concordia procuranda ſcribuntur, ad hæreſes quoque extinguendas, & ad convertendos hæreticos pertinere, nemo non exiſtimaverit. Gravia, & conſideranda ſunt, quæ Sanctus Ambroſius Libro primo de Pœnitentia, & Sancti alii Doctores affirmant: multos peccatores etiam hæreticos ad pœnitentiam admiſſos recidiſſe; ſed multos etiam in melius vitam commutaſſe, martyrium ſponte ſubiiſſe, & potiora bona adeptos eſſe, quam qui nunquam ceciderunt; Apoſtolicum illud revera confirmantes, ubi ſuperabundavit delictum, ibi ſuperabundat & gratia; & malos plerumque homines, optimos evaſiſſe legimus, & præſtantiſſimarum virtutum dediſſe exempla. Quod Sanctus Auguſtinus ad Euſebium ſcribens confirmat præclariſſimis illis verbis: ſed ſi cum tranſeunt, ficti ſunt, jam non eſt noſtrum, ſed Dei judicium, & tamen quidam, cum ficti putarentur, quoniam juſſionis ad nos terrore
tranſie-

tranſierunt, tales poſterius in nonnullis tentationibus inventi ſunt, ut quibuſdam veteribus Catholicis præferrentur. Et Beatiſſimus Pater Gregorius in Dialogis commemorat, Ermigildum Livigildi Viſigothorum Regis filium ex Arriano Catholicum factum, conſtanter Catholicam Fidem retinuiſſe, pro qua retinenda mortem,quam iniquiſſimus ejus pater Arriana peſte infectus crudeliter ipſi intulit, non extimuit; cujus conſtantia commotus frater, fraterni potius martyrii admirator,paterna juſſa negligens innumerabiles mortales ad Fidem Catholicam reduxit. Quid autem prohibet, ſperari poſſe, tantæ virtutis,adjuvante Deo,hunc imitatorem futurum? Quid ſi Sancti Ludovici Gallorum Regis, in cujus familia hic Henricus poſt trecenteſimum annum eſt ortus, eximiam pietatem, & animi fortitudinem adverſus hæreticos ſtudeat imitari? Ut ille contra Saracenos exercitus duxit,ducat hic etiam adverſus Turcas fœdere inito, Auctore hoc ipſo, quem Pontificem habemus, Clemente VIII. Hæc quamquam difficillima, cur magis non licet ſperare, in gremium Eccleſiæ recepto hoc, quam rejecto? QuidquidChriſti Vicarius decreverit,ut Spiritus Sancti vocem interpretemur recte, ſperemus etiam meliora; ſperemus & non confundemur. Cur enim Virum optimum, Paſtorem univerſalis Eccleſiæ, quotidianis Sacrificiis,& aſſiduis precibus cum Deo tractantem, cogitationes omnes in publicam utilitatem dirigentem, Juris Civilis & Cano-

no-

nonici ſcientiſſimum, doctiſſimos Viros in Sacra Theologia, & in Jure Canonico verſatos in conſilium adhibentem, deceptum, nec Spiritu Sancto, qui ſuper humilem & quietum requieſcit, ductum fuiſſe, tam facile nobis perſuadeamus? Tu, Cardinalis optime, Commentariolum hunc noſtrum, certo ſcio, libenter leges. De his, quæ ad hunc uſque diem acta ſunt, in difficillimo hoc negotio, gratias ages bonorum omnium conſiliorum & actionum Auctori Deo. Laudabis, ut valde laudanda eſt, Clementis diligentiam, prudentiam, & pietatem: quidquid tandem conſilio S.R.E. Cardinalium tuorum Collegarum idem Pontifex ſtatuerit, ut bonum Cardinalem decet, ſapienter ſtatuiſſe putabis. Hæc legens, etiam agnoſces Cardinalis tui Veronenſis in te ſtudium & benevolentiam: quo ſtudio, & qua benevolentia te ſcio vehementer delectari. Libellum, quem in tuo ab Urbe diſceſſu ad te miſi, *de cauta imitatione Sanctorum Epiſcoporum*, quem Benjamin meum nominavi, in ſenectute mea ortum, quem omnium poſtremum futurum putavi, cum mihi allatum ſit de vigiliis, pernoctationibus, & aſſiduis jejuniis tuis, cumque ſis corpore non ſatis robuſto (vere dicam) ſuſpicor, ut illum non diligas, ſicut videbaris, cum primum in manus tuas pervenit, diligere. Cave, Cardinalis optime & amantiſſime, ne in corpus tuum ſeverus ſis nimium. Blandus eſt quidem & inſidioſus inimicus corpus; eſt tamen ſocius animæ, & il-

lo, veluti inſtrumento, utimur ad res præclaras gerendas; & nos Epiſcopi ad animas Chriſto lucrandas. Hic eſt, quem nunc ad te mitto, Benjamin meus; nihil eſt enim, quod ſcribam amplius, verſer potius in Sacris Literis, & in præclaris Libris, quos ampliſſimus Cardin. Paleottus jam edidit *de bono ſenectutis*; ut ſexageſimum quintum annum agens, fruar ſenectutis bonis, ad vitam aſpirans æternam.

FINIS OPUSCULI.

QUod hactenus ab Auguſtino Cardin. Valerio laudari legiſti, BEAT.ME PATER, inclytum Clementis VIII. facinus erga ampliſſimum Regnum Galliæ, nullus ambigo egregii exempli loco Tibi futurum, unde animoſius aggrediaris conſilium, quod cepiſti, Parænetícas pro Eccleſiaſticæ Pacis conſtitutione ad Heterodoxos Principes in proximi Jubilei ſolemnitate conſcribendi, eaſque quaquaverſus ſpirantes, Paſtoris oves ſuas quærentis, amorem indulgentiſſimum. Nec etiam ambigere poſſum Tuum illud conſilium plenis ſuffragiis S. R. E. Cardinales omnes ſecundaturos fore, ſeu in Alma Urbe Apoſtolicum Senatum, cujus Ipſe Princeps, componant, ſeu extra eandem Paſtoralibus muniis addicti commorentur. Quotquot enim in alterum hunc cenſum venimus, optime novimus, ſummo jure a Valerio Cardinali affirmatum fuiſſe, quod hiſce verbis, ſcribens ad Cardin. Feder. Borromeum, affirmavit, *Quidquid conſilio S. R. E. Cardinalium*,

tuo-

tuorum Collegarum, Pontifex ſtatuerit, ut bonum Cardinalem decet, ſapienter ſtatuiſſe putabis. Id autem quum novimus, æque novimus, eos, qui Romæ adſunt, Collegas noſtros, ſat bene intelligere, quodnam ſit eorum officium, dum ad conſulendum de gravibus Eccleſiæ negotiis adhibentur, ſententiam ſcilicet ſuam patefaciendi ea judicii maturitate, ea pectoris conſtantia, quæ certos omnino nos reddant nihil niſi Apoſtolica Sede dignum eorundem calculis decerni potuiſſe. Officium iſtiuſmodi quam valde ipſos adſtringat, SANCTITAS TUA in aureo recens edito de Synodo Diœceſana Volumine palam fecit lib. VIII. cap. I. n. VII. nam de Cardinalibus Papæ Conſiliariis ita loquitur, *Nec poſſunt ſine culpa conſilium ſuum reticere, aut ambiguis verbis obductum proferre, etiamſi prævideant, illud ab aliis Cardinalibus, atque ab ipſo Pontifice reſpuendum*. Pariter SANCTITAS TUA in literis ante binos annos ad me datis de clanculario abitu Archidiaconi meæ hujus Eccleſiæ Cathedralis ad capeſſendum Jeſuitarum Inſtitutum, in medium attulit factum Cardinalis Ardicini de la Porta. Hic obtenta ab Innocentio VIII. facultate Sacram Purpuram cum ſago Camaldulenſi commutandi, nihilominus adactus fuit, rubro galero, & cuculla Monaſtica orbatus Romam reverti, ut Cardinalibus ſatisfaceret, qui contemptam Auguſti Senatus authoritatem cenſuerant, quod ipſorum frater rem tanti momenti ipſis inconſultis facere aggreſſus foret. Exemplis, præcep-

Digitized by Google

tiſque hujuſmodi Cardinales Romæ præſentes eru-
diendos, more Tuo luculentiſſime, & ſapientiſſime, PATER SANCTE, exiſtimaſti, ut iidem muneris ſui in conſulendo conſcii, eoque bene fungentes, Collegas abſentes ad aſſentiendum ſententiæ ſuæ facile adducant, atque una ſimul iis, qui ex adverſo ſunt, occaſionem ſubtrahant Apoſtolicorum judiciorum vim, ac famam labefactandi, perinde ac ſi Pontifices ea aliquando edidiſſe comperiantur, innixi tantum proprio ſenſui, propriæque prudentiæ.

Quemadmodum autem ad Cardinales ſingulos extra Romam morantes referri dixi Valerii illud, *Quidquid conſilio S. R. E. Cardinalium Pontifex ſtatuerit, ſapienter ſtatuiſſe putabis*; id unum modo ſupereſſet, ut ad me ſingulariter ſpectare profiterer verba, quibus idem Valerius Commentario ſuo finem facit, ubi ſcilicet nihil amplius, poſt editum illum Commentarium, literis a ſe mandandum conſtituit, ſed præclaros eos tantum libros legendos, quos *de bono ſenectutis* ediderat Cardinalis Paleottus. Ætatem, ad quam proceſſerat Valerius hæc ſcribens, quinquennio exſuperans ego, multo quam ille avidior eſſe deberem eorundem bonorum perfruendorum, & ea inſuper de cauſa, quod iis viginti duobus annis, qui jam elapſi ſunt Brixiani mei Pontificatus, animum ſemper appulerim, Deo juvante, novis, noviſque operibus moliendis, quorum conſpectus ſenectuti meæ oblectandæ haud mediocriter conducat. Attamen ignoſcat Va-
le-

letius, ſi ſuo illi conſilio, atque propoſito antepo- nendum a me putem ipſiuſmet Card. Borromei exemplum, qui ſcilicet dicere ſolitus erat, *In votis ſuis eſſe, ut dextera manu Crucifixum gerens, ſiniſtra Calamum, moreretur*. Quid vero, quum neque deviis ultra montes peregrinationibus temperare mihi adhuc ſuaſerit ſeptuageſima meſſis jam jam condenda, ut paulo ante indicavi? Quid vero, quum eas vagationes ita feliciter binis proxime elap- ſis annis per Rhetiam, Helvetiam, Sueviam, & Ba- variam ad Danubium uſque peregerim, ut qui te- ſtes earum fuerunt, in animum ſuum induxerint, ſe- rio cogitari a me poſſe de Berolinenſi itinere quam- primum conficiendo? Perlatæ enim ad me ſunt nu- dius tertius ex ea urbe amici mei literæ, in quibus hæc legi, *Quanto m' increſce quello che V.E. mi dice, ch' il ſuo viaggio a Berlino non ſia per effettuarſi! Mi aveſſe Ella almeno laſciato queſta dolce ſperanza! Ma chi ſa che Dio che le inſpira continuamente tante belle impreſe, e pie, non le in- ſpiri ancora di venir a conſecrare il ſuo Tempio in Berlino?* De divino hujuſmodi afflatu nec verbum quidem facere conſtitui literis iſtis reſpondens, ſatiſque ei- dem amico futurum putabo, ſi ex meo illo reſpon- ſo intelligat, me libenter ſuſcipere, quod mihi ab eodem in literis illis proponitur, onus ſcilicet ſump- tus omnes ſuppeditandi ad ſtruendum ex unico la- pide ſtatuarum globum, quo una ex binis lateralibus aris Templi Berolinenſis loco tabulæ pictæ conde- coretur. Id ergo præſtare paratum me eſſe, eidem ſignificabo, ac curaturum, ut opus, ſeu Romæ,

ſeu

Digitized by Google

ſeu Venetiis perficiendum, ejuſdem Molis magnitudini, & elegantiæ reſpondeat.

Veniam dabis, BEATISSIME PATER, ſi graviſſimis argumentis in Valerii Opuſculo pertractatis veluti corollarium ſuperaddere auſus fuerim leviores haſce narrationes; nec enim eaſdem putavi ceu inficetas a Te rejici poſſe, quod ſpectent ſeu ad Templum, in cujus conſtructionem a Catholicis cujuſvis ordinis, atque regionis ſubſidium erogari, ſuaſor Ipſe, & author fuiſti, ſeu ad conatus a me ſuſceptos, quorum valde graphicam imaginem oculis Tuis ante duos, & amplius menſes exhibitam fuiſſe, nuperrime mihi innotuit. Ex ea vero quantum animi mihi acceſſerit ad eoſdem conatus magis, magiſque urgendos, vix dicere valeo, namque inter cætera ibidem a Viro vere Sapienti hæc ſcripta fuiſſe comperi, *Parmi ſcorgere eccitarſi nell' animo de' zelanti Paſtori della Chieſa Univerſale una ſpecie di gioja, che ci ſia nel ſagro Collegio chi pieno di fervore Criſtiano, e di ſuperiore talento ſi ſenta chiamato anche alle più ardue impreſe, quando hanno in ſe ſteſſe pregio grande, ed incomparabile. Se vagliono ſol tanto a tener viva la traccia de' zelanti Pontefici Predeceſſori della Santità Sua, non caderanno ſenza merito i predetti tentativi, ne ſenza gloria del Pontificato di Lei, lo ſplendore di cui a Dio piacerà, che ſia di ſtimolo, ed eſempio a' Succeſſori.* Stimulum præbent animo meo verba iſta, ne viam quoquomodo deſeram, cui inſiſtere cœpi, nil prorſus ardua, & adverſa quævis reformidans, ſiquidem, ut ajebat ille,

Explorant adverſa Viros, perque ardua duro
Nititur ad laudes virtus interrita clivo.

Rurſuſque S. T. Pedibus advolvor.

✿ ✿ ✿

A01 1467760